

DE  
IVRIS DICTI ONE  
PROROGA TA



ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO SVMMIS  
IN VTRQVE IVRE  
HONORIBVS



DISPV TABIT

ARGVSTVS CORNELIUS STOCKMANN

IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREVS

---

LIPSIAE A. D. XVII. OCTOBR. MDCCCLXXVII.

---

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

Diss. jur. civ.

298,16



V I R O  
PÆRILLVSTRI  
CASPARI GVILIELMO  
a BERLEPSCH  
PIETAS  
AVGVSTI CORNELII STOCKMANNI.

О Я И В  
Ілтазулахта  
Омурзаков Абдес  
Ночиная  
ЗАТРАК  
Лиманжота Найкоб Генчук

DE  
IVRISDICTIONE PROROGATA.

PROLOGVS.

**Q**uod euenire nonnunquam solet pictoribus, vt, facta figurarum circumscriptione, saepe etiam inductis in tabulas coloribus, eorumque splendore ac transitu iam expreso, vel taedio permoti, vel praeudentes nullam prorsus ista in re perfectionem attingi posse, inuenta diu excogitata deleant, nouas atque ab illis tam diuersas species,

*vt nec pes, nec caput uni*

*Reddatur formae,*

sibi effingant, atque alia omnia meditentur: idem hoc et mihi in ista scribendi necessitate accidisse ingenue fateor. Quum enim conflitum apud animum haberem, depromere e iuris publici doctrinis aliquid, quod nec diligentiori expositione, nec doctorum virorum personis plane indignum foret: en! repente, nescio, cur? acclamauit mihi meus ille H O R A T I V S :

*Sumite materiam, vestrīs, qui scribitis, aequam*

*Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,*

*Quid valeant humeri.*

A 3

Com-

Comonens factus igitur hocce consilio, et, explorata virium mearum imbecillitate, se posui, quae iam annotata in scriniis habebam, et sum si mihi, auctoribus viris eruditis, hoc de iurisdictione prorogata argumentum denuo elaborandum. In quo quidem tractando haud dubito, fore nonnullos, quibus videar rem actam agere, et iustum aliquam in reprehensionem incurrere propterea, quoniam praeter superioris aei scriptores quosdam, quibus tamen uti mihi non licuit, ea de re iam disputatum fuit a viris doctissimis,

**S T R V V I O**, <sup>a)</sup> **K E M M E R I C H I O**, <sup>b)</sup> **C R A M E R O**, <sup>c)</sup> et qui nouissime adhuc de eo commentatus est, **B A C H I O**, <sup>d)</sup> Viro de omni re literaria meritissimo. Verum enim vero quamuis non ignorrem, vix expectandum esse ab homine adolescenti, ut, nisi cramben recoclam apponere velit, causam a tantis ICtorum nominibus iam peroratam melius expositurus, aut noui aliquid prolatus sit, nisi arrogantiae aliquid praese ferre videatur: tamen, quoniam ipsius huius argumenti, de quo agere animus est, tanta utilitas et tam frequens in foro usus occurrit, ut saepissime de eo dubitationes moueantur, ac praeterea, cum summi illi viri, respectu plerumque ad solum ius romanum habito, aut plane intactum reliquerint, aut,

quantum

**a)** *Frid. Gottl. Struuii Diff. de iurisdictione prorogata. Ien. 1708.*

**b)** *Diet. Herm. Kemmerich de prorogatione iurisdictionis. Vit. 1727.*

**c)** *Io. Ulric. de Cramer de iurisdictione prorogata in eius opus. Tomo II. Marburg 1754. 4to. num. XXIX.*

**d)** *Io. Aug. Bach de prorogatione iurisdictionis. Lips. 1756.*

quantum ego quidem scio, usum, quem nostris in foris recepit, pauculis tantummodo verbis ostenderint, tota haec res omnibus suis numeris nondum absoluta mihi visa est; haud male interpreturos esse aequos harum rerum aestimatores arbitratus sum, si nouam eius expositionem cum eruditis viris communicarem. Qua propter cum omnis, quae de re aliqua instituitur disputatio, ratione quadam et ordine tractanda sit, omnem hanc scriptiunculam, ne incerta et latius vagata lecturis fastidium creet, his potissimum finibus coercendam et circumscribendam mihi esse duxi, ut, praemissa primum e iuris romani principiis huius doctrinæ expositione, quale ei in foris Germanicis, nostro etiam in primis, statuendum sit pretium, cum Interpretes de hoc in varias abeant sententias, e iuris rationibus ac consuetudine forensi adiicerem et demonstrarem. In qua quidem re non hoc mihi sumo iuuenis ego, ut ei suscipienda parem me esse existimem; debeo potius id viris illis doctissimis, quorum consiliis adiutus, et institutione ornatus sum. Ita vero vos, humanissimi lectors, ea, qua decet, obseruantia oro atque obtestor:

*Fauete, adeste aequo animo, et rem cognoscite,  
Vt per noscatis, ecquid spei sit reliquum.*

### §. I.

#### *De origine et vocabulo prorogationis.*

**A**c prima quidem prorogatae iurisdictionis vestigia, quoniam in causas atque originem legum inquirere haud iniucundum est, repetimus

rimus in legibus iudiciorum Iuliis, quarum in Digestis mentionem fecit VLPIANVS.<sup>e)</sup> Quemadmodum enim magistratibus, cum certi vnicuique limites semper praescripti esse debent, quibus inclusi iuris dicundi potestate polleat, non licet iurisdictionis aliquid exercere eum in hominem, eamue in causam, cuius dijudicandae ipsi nulla plane potestas competit: ita nec permisum fuit ante haec tempora litigatorum cuiquam, vt, pactis aut conuentionibus initis, litis disceptandae causa alium iudicem adiret, nisi suum. Fuisse hac ratione forma iurisdictionis, adeoque ius publicum immutatum, quod, nisi alio iure permittente, pactis priuatorum fieri nequit, *l. 38. D. de pactis.* *l. 27. D. de reg. iur.* Sed cum saepius eueniret, vt alteri, vel utriusque parti forum ordinarium sequi molestum esset; mutata demum republica, latisque legibus, quo priuatorum hominum commodis consuleretur, ipsorumque consensu expediendi iuris ratio redideretur facilior, facultas concessa est litigantibus, transferendi, si conuenerint, causam in eum magistratum, cui vel in ipsos, vel in causam, qua de lis mouebatur, proprie nulla potestas, iurisdictione nulla esset. Rogauit leges istas Iulias non Caesar Dictator, quemadmodum viri eruditii *CICERONIS*<sup>f)</sup> et *SVETONII*<sup>g)</sup> locis persuasum sibi habuerunt, sed Augustus. Namque vt nihil dicam de more illo, quo in nouis legibus, etiam si aliquid immutauerint,

saepissime

e) *l. 2. §. 1. D. de iudic.*

g) *Suet. Caef. c. 40.*

f) *Cic. Phil. I. 8.*

saepissime tamen, aut vniuersa priorum legum capita repetita, aut iis, quod etiamnum fieri animaduertimus, nonnulla e priscis inserta sunt; certe satis iam docuit B A C H I U S<sup>h)</sup> latus fuisse leges iudicarias ab Augusto, qui, cum, teste S V E T O N I O Aug. cap. 32. ut iudices a vicefimo aetatis anno allegarentur, id est, quinquennio maturius, quam solebant, instituerit, hoc autem in l. 41. D. de recept. qui arbitr. recep. lege iudiciorum Iulia cautum esse expressis verbis commemo-  
ret C A L L I S T R A T U S, sine omni dubio illius auctor censendus est ac judicandus. Et quamvis reseratur in numerum earum legum, quae nec certo aliquo annorum argumento insigniri, nec praeter verba: quo minus inter priuatos conueniat, ab V L P I A N O memoriae prodita, ex antiquitatis monumentis proferri possint: certum tamen est atque expeditum, vniuersam iudiciorum formam et rationem, iudicum aetatem, et quae praeterea huc pertinere videntur, in ea fuisse constituta. Certe V L P I A N U S sensum illius l. 1. D. de iudic. expressit his verbis: *Si se subiiciant aliqui iurisdictioni, et consentiant; inter consentientes cuiusuis iudicis, qui tribunali praeest, vel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictionis, et vero etiam ex fragmentis, quae supersunt, satis potest intelligi.* Ceterum cum duplex feratur lex Iulia iudicaria, vna publicorum iudiciorum, priuatorum altera, cuius collecta e Digestis capita peculiari obseruatione prosecutus est

B A R N.

h) Bachius Hist. Iur. lib. III. cap. 1. §. 13.

BARN. BRISSONIVS *Ant. iuris sel. lib. IV. cap. 7.* facile perspicitur, hoc esse caput legis Iuliae priuatorum iudiciorum, quod pluribus demonstrauit GERARDVS NOODT *de iurisdictione lib. II. cap. 12.* Prorogationis autem vocabulo vñi sunt iuris Interpretes, si iurisdiction a litigatoriis extra terminos aut limites, quibus circumscripta est, translata fuit in magistratum non suum. Male. Eleganter iam obseruauit PERIZONIVS *Animadu. hist. cap. VI. p. 229.* *sqq. prorogationem* semper inuoluere temporis ac durationis significationem, sumtam a comitiis, quorum proprium sit vocabulum *rogatio*, et quae inde oriantur, in quibus etiam *prorogare*, id est, longius vel in proximum annum rogare Imperatoribus imperium, eamque ob rem locum *LIVII XLII. c. 30.* vbi *prorogatio imperii de loco*, non de tempore dicitur, emendat, substituto in eius locum vocabulo *propagationis*, quoniam hoc quamcunque continuationem et quamcunque de causa denotat. Ac profecto ista auctorum veterum loca, in quibus de loco usurpatum esse videbatur, hodie fere omnia e libris scriptis emendata sunt, quoniam per librariorum inconstantiam saepe factum est, vt hoc in illud abiret.<sup>i)</sup> Aduersatur quidem huic sententiae HEINECCIVS,<sup>k)</sup> *quid obstat, inquiens, quo minus et ultra territorium alicui rogaretur imperium, e. gr. dictator cum potestate esset extra Italianam?* At vero vocabulum *prorogare*, cuius vim clare exponit POMPONIVS his verbis: *si manente adhuc precario, tuinal-*  
terius

<sup>i)</sup> cf. Drakenborch ad Liv. lib. *XXIII. c. 25.*

<sup>k)</sup> In Digest. h. t. §. 252.

*terius tempus rogasti, prorogatur precarium, adhibetur solum de tempore, et nativo suo significatu notat populi rogatu proferre, vel producere aliquid,*<sup>1)</sup> neque unquam in universo iuris romani volumine eo, quo ICTI vntunt, sensu occurrit. Qua propter quoniam latius propagata, quam prorogata iurisdictione dicitur, retinere cum NOODTIO<sup>m)</sup> propagatae lectionem, nisi vocabulum prorogationis usu loquendi, sic inualuerit, ut plane in artem sit receptum. Ne tamen

*Grammaticas ambire tribus et pulpita tantum  
scrutari velle videar, id unum addam, prorogationis vocem, qua alienum iudicem rogando eiusdem potestas latius profertur atque extenditur, iure demum canonico ad huius doctrinae usum fuisse translata.*

## §. II.

*Quid sit prorogatio?*

Iam vero ut ad rem ipsam tractandam paulo proprius me accingam, mea potissimum opera ante omnia versabitur in constituenda prorogatae iurisdictionis notione. Est igitur prorogatio, mutuo litigorum consensu in eum, qui non esset suus magistratus, facta iurisdictionis translatio, subiectione voluntaria eorum, in quos ipsi nulla proprie iurisdictionis potestas esset. Et cum omnis iurisdictione in

B 2

conten-

1) vid. Barn. Briffonius de verb.  
sign. f. h. v.  
m) de iurisd. II. cap. 12.

*contentiosam* dispescatur ac *voluntariam*; in aprico est, duas etiam esse prorogationis species, quarum illa, quippe quae vel in iuitos exercetur, *necessariae*, haec, quae non nisi partium consensu nititur, *voluntariae* nomine a ICtis insignita est. Ex quo facile perspicitur, quoniam omnis, qua de nos verba facturi sumus, prorogatio nititur sola partium conuentione, plane excludi a nobis speciem illam, quae traditur, prorogationis *necessariae*, in reconvencione potissimum, vti vulgo dicunt, causisque connexis collocatae. Conuentio-  
nem autem in ista prorogatione voluntaria adesse debere, satis docent ipsius legis Iuliae verba: *quo minus inter priuatos conueniat.* Neque adeo opus est, vt in iurisdictione proroganda consensus magistratus illius, cuius iurisdictio transfertur, requiratur, cum solus litigato-  
rum consensus eam vim habeat, vt in causa iuris dicundi potestate  
gaudeat magistratus in eos, qui eius iurisdictioni alias non subiecti  
sint. Expressè enim *VLPIANVS l. 1. D. de iudic.* si se subiiciant  
aliqui iurisdictioni, et consentiant, inter consentientes culusuis iudicis,  
qui tribunali praefit, aut aliam iurisdictionem habet, est iurisdictio.  
Et paulo post: *conuenire autem, utrum inter priuatos sufficit, an vero*  
*ipsius etiam praetoris consensus necessarius est?* Lex Iulia iudiciorum  
ait: *quo minus inter priuatos conueniat: sufficit ergo priuatorum con-*  
*sensus.* Patet ex ipsis his verbis, oportere eum, in quem priuati  
consentiant, habere iurisdictionem. Prorogari igitur non potest in  
hominem priuatum. Id enim si fieret ex compromisso, foret ar-  
bitrium. Constituitur quidem arbiter pari conuentione ac iudex pro-  
rogatus,

rogatus, sed eo seruato discrimine, ut hic quidem iurisdictione, et ea specie potissimum, sub quam lis cadat, gaudeat; ille vero priuatus sit. Ita rescripserunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS A. A. I V D E A E: priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli praest iudicio: nec, quod is statuit, rei iudicatas continet auctoritatem. Vnde non video, quomodo placuerit A N T. Q V I N T A N A D V E G N A E<sup>n</sup>) disputare de quadam iurisdictionis prorogatione vel deneganda, vel tribuenda arbitris, cum hi, partium quippe compromisso electi, plane destituti sint publica iudicandi causasque exequendi potestate, adeoque nec iurisdictionem nec motionem proprie dictam habeant. Sed vt oratio, vnde digressa erat, redeat, ex ipsis, quae indicata iam a nobis sunt, legum verbis apparat, recte prorogationem fieri in quemuis iudicem, non eum solum, qui tribunali praest, h. e. maiorem magistratum, sed et minorem, quem verbis: vel aliam iurisdictionem habet, notauisse videtur V L P I A N V S. Vsi enim sunt magistratus minores, qui pariter iurisdictionem, certis tamen finibus magis circumscriptam habent, ius dicentes, non tribunali, sed subselliis, vti commemorat A S C O N I V S P E D I A N V S,<sup>o</sup>) cuius locum, cum iam excitatus sit ab aliis, N O O D T I O imprunis et B A C H I O, iterum exscribere haud lubet. Ceterum nullus dubito, quin et recte fiat prorogatio in eum, qui mandatam

B 3

iuris-

<sup>n</sup>) *De iurisdictione et imperio in Meermannii thes. Iur, T. II. p. 295. et 296.*

<sup>o</sup>) *In diuinatt. in Verrem, p. m. 34.*

iurisdictionem administrat, modo non eius pars, sed totum iuris di-  
cundi officium demandatum sit. Produceretur enim, vnius vel cer-  
tae tantum caufae alicuius iurisdictione mandata, potestas mandata-  
rii, suis limitibus restricta, si prorogatio fieret in talem causam, per-  
sonainue, cuius ne vlla quidem in mandato mentio facta esset, quod  
aduersatur legibus, quae non patiuntur quenquam mandati suscep-  
tione excedere.

## §. III.

*Prorogationis in expressam et tacitam diuisio.*

**C**um omnis, qui de re aliqua declaratur consensus, duplii modo possit interponi, conuentione nimirum vel expressa, vel tacita: ne-  
mo dubitabit, quin iurisdictionis prorogatio, quippe quae sola par-  
tium conuentione initur, fieri possit et *expressè*, seu disertis verbis,  
ore aut scripto prolatis, et *tacite*, seu rebus ipsis et factis, nempe  
agendo aliquid aut suscipiendo, quod iurisdictionis agnitionem ar-  
guat. Ac primum quidem in expressa iurisdictionis prorogatione  
id *atque* nobis discutiendum venit, num sola tantum conuentione quis se  
subiiciat alterius iurisdictioni, praesertim cum ea de re magna inter  
iuris Interpretes enata sit dissensio. Neque enim leges, quo pacto  
fiat, accurate satis loquuntur. **N O O D T I V S** <sup>P)</sup> quidem et **S C H V L-**  
**T I N G I V S**, <sup>q)</sup> at, quanta nomina! conuentionem quamcunque,

<sup>P)</sup> *De iurisdic<sup>t</sup>, et imperio II.* <sup>q)</sup> *In Enarrat. ad II. p. 179.*  
*cap. 12.*

atque adeo nudam, propter illa legis Iuliae verba: *quo minus conueniat*, quippe generaliter concepta, ad iurisdictionis prorogationem sufficere arbitrantur. Neque enim aiunt, videri huic expositioni resistere, quod ex pacto nudo iure ciuii actio neque detur, neque tollatur. Nam cum quaeratur, an iurisdictio nuda conuentione pro-rogetur, non hoc verti, an ob nudam conuentionem danda de foro pacifcenti sit noua actio; sed si quae actio ante ei competierit aut ciuii aut praetorio iure, an illa actio ob subsecutam nudam conuentionem de proroganda iurisdictione, possit institui alio in foro, quam in quo absque conuentione instituenda esset. Summus autem CVIA-  
CIVS<sup>r</sup>) eam desiderare videtur conuentionem, ex qua nascatur ob-  
ligatio, veluti pacto in continenti appositam aut firmatam stipula-  
tione, quippe quae, nec iudice adito, ad prorogandam iurisdictionem sufficiat. Sunt praeterea, qui praeter consensum partium, adi-  
tionem iudicis tam necessariam esse contendant, ut omissa illa, liti-  
gantes voluntatem suam mutare possint, siue nudo pacto, siue stipu-  
latione inita conuentum sit. Hanc sententiam defendit in primis  
post HERMANNVM VVLTEIVM,<sup>r</sup>) VLRICVS HVBERVS,<sup>r</sup>)  
iurisdictionis mutandae vim, inquiens, sola conuentio non habet,  
quin, antequam iudex adeatur, poenitere liceat. Sed quando se-  
cundum conuentionem partes adierunt praetorem, cui se submife-  
rant,

<sup>r</sup>) In Tract. 7. ad African. in pr.      t) In Praelect. ad II. de iurisd.

f) In Comm. ad Cod. de iurisd.      §. 9.  
p. 84.

rant, iam est eius fundata iurisdictio, quae proinde necessitate in-  
 fert parendi, nec poenitentiae locum relinquit. Iudicem aditum  
 esse tradunt, cum, lite apud eum contestata, iudicium geri coepit,  
 argumento, quo huius demonstrationis aedificium innititur, e lege  
 18. *P. de iurisdict. ducto*, quanquam non desint alii, qui satis esse  
 statuant, si quis ad iudicem vocatus venerit, nec fori praescriptione  
 usus sit. Ego vero, cum eorum, qui ultimo loco commemorati  
 sunt, partibus accedam, in eorum sententia defendenda ita versabor,  
 ut ex ipsis legum verbis appareat, quid de ea sentendum sit. Mihi-  
 met enim ipsis vix temperare potui, quin abirem in sententiam *ICtissimi NOODTII*, cuius apud me quidem magna est auctoritas. Ve-  
 nit in mentem periculum facere, suscipienda alicuius inter dissen-  
 tientes conciliationis, praesertim cum sententiam, qua praeter liti-  
 gatorum consensum aditio iudicis ad iurisdictionis prorogationem  
 requiritur, a plerisque iuris Interpretibus receptam, neque argumen-  
 tis plane destitutam esse animaduertam. *AFRICANVS* quidem  
 1. 18. *D. de iurisdict. claris verbis: si conuenerit*, ait, *ut aliis praetor,*  
*quam cuius iurisdictio esset, ius diceret, et priusquam adiretur, mu-*  
*tata voluntas fuerit, procul dubio nemo compelletur, eiusmodi conuen-*  
*tioni stare.* E quibus verbis non immerito colligitur, aditionem  
 praetoris, interposita partium conuentione, facere, ut prorogata  
 censeatur iurisdictio. At *VLPIANVS*, quem strenue defendit  
*NOODTIVS*, positis legis Iuliae verbis, quo minus inter priuatos  
*conueniat, nihil amplius addit, nisi hoc, sufficit ergo priuatorum con-*  
*sensus.*

*sensur.* Recte quidem NOOTIUS, vbi de nuda conuentione ad iurisdictionis prorogationem sufficiente agit, disputat, oppositam in ingressu litis fori praescriptionem, et si obligationem non pariat conuentio nuda, nec iure ciuili ex pactis actiones dentur, pacti tamen conuenti replicatione repelli posse, cum ex conuentione contractui apposita nemo dubitet, quin nascatur obligatio. Iam vero traditum accepimus ab AFRICANO, pacientes, si a conuentione, de proroganda iurisdictione inita, prius discesserint, quam praetor aditus sit, non teneri conuentioni stare, sed posse mutare voluntatem suam, quoniam nondum coeptum sit iudicium. Vnde omnino mihi distinguendum esse videtur, inter conuentionem ante iudicis aditionem interpositam, et aditionem ipsam. Quod si enim se partes iam subiecerint iudici, alias incompetenti, et litem apud eum contestati fuerint, quae fuit initio nuda conuentio, definit esse nuda, quoniam exfacto, h. e. ex conuentione iudicis et litis contestatione summis effectum. Tunc enim litigantes tenentur stare conuentioni. Neque intelligo, quanam alia ratione haec AFRICANI verba: *prius quam adiretur*, interpretari velis. Iudicem enim, in quem iurisdictionis translatio fit, scire oportet, a partibus sibi ista in re translataim esse iuris dicundi potestatem, quae iam extra terminos suos exerceri debet. Vnde vero hoc sciat, nisi aditus sit? In quo satis esse arbitror, si vel tacite consenserit, v. c. facto aliquo, se non contradicere, declarauerit. Qua quidem oblata occasione nescio profecto, an audeam proferre meam qualemcumque ea de re senten-

C

tiam,

tiam, mera quidem coniectura suffultam, tamen, ut mihi quidem persuasum habeo, haud plane improbabili. Videtur mihi omnis ista controvrsia sic componi posse, vt e lege quidem Iulia ad iurisdictionis prorogationem pacientium solummodo consensus, adeoque vel nuda conuentio sufficerit, praesertim cum vocabulum *conventionis*, quam *consensum* appellat **V L P I A N V S**, vtramque tam nudam, quam non nudam complectatur. Deinde vero, additis ICtorum interpretationibus, usque quotidiano comprobante, cum res ipsa loqueretur, nullum iurisdictionis exercitium sine iudice cogitari posse, factum esse arbitror, ut sine aditione iudicis non censeretur prorogata esse iurisdictio. In quo me confirmant ipsorum veterum ICtorum testimonia, qui vehementer videntur de ista re dubitauisse. Ipse enim **V L P I A N V S** velut timide et dubitanter, *et puto*, inquit, *defendi posse eius iurisdictionem*, quod, addit ipse **N O O D T I V S**, non dixisset, si ea res tam certa atque indubitate fuisset. Ceterum in eo assentior **N O O D T I O**, verba: *nemo compelletur sic exponenti*, ut neuter litigatorum compelli possit. Nam profecto alter non potest inuito altero discedere ab eo, de quo uterque conuenit, posteaquam iudex aditus fuit. Et quod priuatorum hominum consensus iudicem alias incompetentem competentem faciat, si aditus sit: de eo eum in modum rescripsit **ANTONINVS**<sup>u)</sup>: *Non quidem fuit competens iudex procurator noster in lite priuatorum: sed cum ipsi iudicem elegemus*

*ritis,*

<sup>u)</sup> *In l. I. de iurisd.*

ritis, et is consentientibus aduersariis sententiam tulerit, intelligitis vos acquiescere debere rei ex consensu vestro iudicatae: cum et procurator iudicandi potestatem inter certas habeat personas: et vos intontrum esse vobis indicem scientes, tamen audientiam eius elegistis. Quod et in aliis similibus iudiciis, tam in actionem proponentis, quam in exceptionem opponentis persona locum habebit. Mutatam autem voluntatem non cum NOODTIO, ceteroquin summo, de pacto contrario intelligo; neque enim dubium est, quin pactum, aut conuentio reuocari possit contrario pacto, aut contraria conuentione, sed de utriusque litigantis poenitentia. Sed, reponunt illi, quomodo satisfacies IUSTINIANO<sup>x)</sup> ita fancienti: si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non usurum fori praescriptione: non debere eum aduersus suam conuentionem venire? Vides igitur, ab eo, qui in ius vocatus venit, fori praescriptionem elidi posse per replicationem pacti conuenti. Quid? nonne ex ipso praetoris edicto pacta conuenta, quae neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo obseruanda? Recte. At, quod pace tantorum virorum dixerim, vereor, ut rationes bene subduxerint. Nolo iam multus esse in commemorandis et refutandis eorum sententiis, qui hancce IUSTINI-  
NIANI constitutionem variis modis exposuerunt. Ego quidem hoc vidisse mihi videor, conuentionem illam, quam AFRICANVS nullarum virium esse respondit, plane alienam esse ab hac, qua de

C 2 loqui-

<sup>x)</sup> l. 29. C. de pactis.

loquitur IVSTINIANVS. In illa, vbi conuenit inter litigantes, vt iudex alienus adeatur, ineſt praeter fori praescriptionem vera alienae iurisdictionis prorogatio: haec, qua litigatorum alter pacificatur, se ad iudicem suum non reuocaturum, continet solam fori proprii praescriptionem, nulla prorogatione adiecta: in illa pollicentur litigantes non solum, se ad iudices suos non reuocaturos, verum etiam subituros alterius iurisdictionem; in hac se non uſuros iis iudicibus, quibus ex priuilegio concessum eſt: in illa actori ad tribunal iudicis, de quo conuenit, aduersarium vocaturo, actione opus eſt; in hac, si conuentus vtitur praescriptione fori, repellitur paclii et renunciationis exceptione. Inter iurisdictionis prorogationem enim ac praescriptionem fori magnum ſane diſcrimen intercedit. Prima quidem magistratum proprium et ordinarium a cauſa aliqua diſceptanda prorsus excludit, eiusque officium ad aliū non competenter transfert: ſed altera iis, quibus forum iure ſingulari datum erat, neceſſitatem imponit, eo non vtedi, ſed ordinarii iudicis potestatem agnoscendi. Quamobrem huic Iustinianeae constitutioni vim mihi videtur feciffe NOODTIVS, magni vir nominis, qui eam vel ad iurisdictionis prorogationem trahendam eſſe ſibi perſuadet. Etsi enim ei facile hoc largior paclia, quibus fori praescriptioni renunciatur, valere, et a priuatis, etiam inconsulto praetore, fieri poſſe: tamen e constitutione iſta, quod de ſola fori renunciatione rescripsit Imperator, idem hoc ad iurisdictionis prorogationem, cuius nec vola nec uſtigium in hac lege reperitur, recte applicari poſſe,

posse, nusquam probauit. Quid? quod manifesto lex ista Codicis loquitur de foro ex priuilegio propter cingulum militiae, vel dignitatis, vel etiam sacerdotii praerogatiuam competente. Atque ipsa haec fori renunciatio tum demum locum habet, cum ei, quocum agitur, singulari iure tale forum attributum est, quoniam unusquisque potest fauori pro se introducto renunciare. Prorogatio autem spectat solummodo ad forum iure communi cuilibet proprium, quod tolli nulla prorsus renunciatione potest. Neque incongrue tamen ipsam prorogationem dices esse quasi renunciationem fori temporariam, quae quidem, quoniam ad similitudinem renunciationis composita est, in errorem mihi deduxisse videtur NO O D T I V M. Sed quoniam sentio

*non opis esse meae, tantas componere lites*

a Viris ICtissimis agitatas, reuertatur velut e diuerticulo oratio nostra ad alteram, quam supra commemorauimus, prorogatae iurisdictionis speciem, nimirum tacitam. Atque ad hanc quidem efficiendam, sunt, qui robur suum statim ab eo accipere existiment, simul ac is, vnde petunt, in ius vocatus venit ad magistratum iudicemue non suum, nulla fori exceptione aut praescriptione opposita. At hoc qui contendunt, videant, quibus suffulti argumentis id demonstrent. Neque enim tacite se quis alterius iurisdictioni in ius veniendo subiecisse dicendus est, cum id nequeat euitari. Sane nec actionis editio ad tacitam prorogationem sufficit, quoniam non alio comparata est consilio, nisi vt futurae litis species demonstretur, isque, vnde pe-

C 3

titur,

titur, deliberet, vtrum cedere, an contendere velit. Expressus enim **MODESTINVS** <sup>y)</sup> non videtur, inquit, in iudicem consensisse, qui edi sibi genus apud eundem iudicem desiderat actionis, quoquin cf. l. *un.* **C. de litis contestat.** Poteſt, vel postulata actionis editione, adhuc dilatoriis aut peremptoriis exceptionibus, imo ipsis fori praescriptiōnibus ſeſe tueri, quas in principio litis, nempe inter ipſa litis exordia ante litis contestationem tamen, a litigatoribus opponendas eſſe legum decrevit auſtoritas <sup>z)</sup>). Facit huc etiam **CONSTANTINI** Imp. constitutio, ad yniuersos prouinciales ita composita <sup>a)</sup>: *nemo post litem contestatam ordinariae sedis declinet examen, nec prius Praefetti Praetorii, aut Comitis Orientis, vel alterius ſpectabilis iudicis imploret auxilium, sed appellatione legibus facta ad sacrum auditorium veniat.* E quibus quidem, quid efficitur aliud, niſi hoc, vt, omisſis fori exceptionibus, factaque demum litis contestatione quis conſensisse in magistratum, iurisque dictionem tacite prorogasse dicendus sit? Sed expungunt illa verba, *post litem contestatam*, tanquam ſpuria et aliena Interpretes et eruditissimi, et clarissimi, **IACOBVS GOTHOFREDVS** <sup>b)</sup> et **GERARDVS NOODTIVS** <sup>c)</sup>, conſtitutionem illam huc plane non trahendam eſſe statuentes. Quanquam vero negandum non eſt, deletis his pro glosſemate verbis, ſenſum legis,

*y) l. 33. D. de iud.*

*z) l. vlt. C. de except.*

*a) l. 4. C. de iurisd.*

*b) in Comment. ad l. 6. Cod. Theodos. de iurisd. T. I. p. 95. edit. Ritteri.*

*c) de iurisd. et imp. l. II. cap. 13.*

legis, quae, sede Praefidis ordinaria declinata, prouocationem ad superiorem iudicem vetat, congruum esse atque perspicuum: tamen non video, cur summi illi viri, codicibus scriptis in hac lectione non variantibus, praeter necessitatem refugerint ad emendationem, sola coniectura innixam, cum, vel retentis his verbis, nulla profusa difficultate sua lex ista laboret. Placet igitur in sententiam abire **VOETII**, haec verba<sup>d)</sup> sic interpretantis, ut de querela, quae post litem contestatam, nondum tamen decisam instituitur, impetrata a Praefecto Praetorio evocatione, intelligat. Vtraque in specie dicit supponi debere prouincialium ipsorumque Praetorio Praefectorum abusum, electis quidem verbis, in lite penes superiorem primitus inchoanda consistentem; iisdem vero seruatis, in lite semel legitime copta, at necdum finita, contra consuetum iudiciorum ordinem ad aliud superius iudicium transferenda. In quo quidem id voluisse mihi videtur **CONSTANTINVS**, ut tueretur auctoritatem Praefidum, Praefectorum Praetorio potestatem coerceret, quae, cum ante ipsum fuerit tanta, ut ipsis imperatoribus periculosa atque timenda esset, variis ab illo modis imminuta est, vti e rerum gestarum monumentis constat<sup>e)</sup>. Sed nec opus est longiori disputatione de hac **CONSTANTINI** lege ad prorogationem nostram referenda. Quae enim supra a nobis demonstrata sunt, ex iis facile appetet, iu-

ris-

d) in *Comment. ad Digesta T.I.*      e) cf. *Zosimus II. 33.*  
p. 98.

risdictionem, lite demum contestata, tacite prorogatam censem-  
dam esse.

## §. IV.

*Quinam prorogare possint?*

**E**xposita vero prorogationis in tacitam et expressam partitione, id potissimum nobis agendum videtur, vt omnia, quae ad consti-  
tuendam eam necessaria sunt, eius requisita paulo vberius comme-  
moremus. Primo quidem loco de personis, qui ad hoc negotium  
fusciendum habiles sunt, notandum est, recte prorogari iurisdi-  
ctionem ab omnibus, qui pacisciendi facultatem, ac legitimam in  
iudicio standi personam habent. A furiosis igitur, mente captis, et  
qui iis comparantur, prorogationem fieri non posse, manifesti juris  
est. Recte autem impuberum minorumue nomine prorogabunt  
tutores et curatores; quanquam procuratoribus ea potestas conceden-  
da non sit, nisi speciali mandato instructis. Cuiuscunque igitur  
quis sit aut conditionis, aut ordinis, siue clericus, siue miles, iure  
romano quidem, recte poterit prorogare iurisdictionem. Nam  
quamvis hi quidem gaudeant aliquo fori priuilegio; tamen quo mi-  
nus eidem renunciari possit, nihil est, quod impeditat<sup>f</sup>). Possunt  
etiam vel ipsi magistratus sese iurisdictioni subiicere tam paris, quam  
inferioris iudicis, priuatis tunc sese quodammodo exaequantes. Ita  
enim

f) cf. l. pen. C. de pañis.

enim *VLPIANVS*<sup>g</sup>): est receptum, eoque iure utimur, vt, si quis maior aut aequalis subiicit se iurisdictioni alterius: possit ei et aduersus eum ius dici. Et cum obligationes ex conuentione descendentes transeant ad heredes<sup>h</sup>); recte inde colligitur, eius etiam, qui iurisdictionem prorogauit, heredes obstringi, vt ad magistratum non, nisi e conuentione mutua competentem, vocati veniant. In defuncti enim ius uniuersum succedentes eiusdem cum eo iuris sunt ac potestatis. Accedit practerea, quod heredes ibi conueniendi sint ac defendendi, vbi defunctus debuit, atque iniquum foret, mortalitatis casum adimere actori ius ex conuentione quaesitum. Neque etiam dubium est, cum vxor ex viri contractu certis in causis obligata dicatur; quin, mortuo marito, vidua ipsa pariter, ac maritus eius secundus, iure maritalis potestatis vxoris nomine conueniendus, e negotio prioris mariti teneatur ad litem isto in foro suscipiendam, quod ex mariti defuncti prorogatione redditum est competens.

§. V.

*In quibus causis locum habeat prorogatio?*

Iam vero negotii suscepti ordo et ratio postulare videtur, vt, quibus potissimum in causis prorogari possit iurisdiction, breuiter differamus. Atque in uniuersum de causis iis omnibus, de quibus trans-

actio  
g) l. 14. D. de iurisd.  
h) l. 9. D. de prob.

D

Al. Adm. (4)

actio licet, recte prorogari posse statuimus. Vnde facile intelligi-  
tur, cum haud liceat transigere super criminibus, adeo, ut trans-  
igentes semper pro praewaricatoribus et corruptoribus habendi sint,  
prorogationem in causis tantum ciuilibus procedere, quod legi iu-  
diorum Iuliae, quae ad priuatos spectat, etiam conuenit. Ad  
crimina enim in primis pertinet lex Iulia iudiorum publicorum.  
Neque usquam in vniuerso romani iuris volumine exemplum factae  
in causa criminali prorogationis occurrit. Ac praeterea, quam peri-  
tissimus NOODTIVS<sup>i)</sup> eius rei profert causam, ea sane neque inele-  
gans, neque iniqua est. Criminales causae, inquit, magis spectant ad  
vindictam publicam, quam ad priuatam utilitatem. Lex Iulia autem  
priuatis solum causas suas, h. e. ad priuatam utilitatem pertinentes, pactis  
suis in aliud forum transferendi facultatem concessit: neutquam ve-  
ro transferendi publicam ultionem eo, quo ipsis videretur. Ne-  
que vero etiam locum habebit prorogatio iis in causis, quibus certus  
iudex constitutus, certum aliquod et peculiare forum attributum est.  
Iure quidem canonico res ecclesiasticae, vel spirituales, quas vocant,  
causae a iudice ciiali non possunt cognosci ac dijudicari, quoniam  
proprium his forum ecclesiasticum datum est. In his igitur causis,  
aut ab his personis prorogari non potest iurisdictio in magistratum  
secularem. Nam plane prohibitum est clericis ita pacisci, ut secu-  
laria iudicia subeant, ob causam, quae profertur, hanc, quod non  
sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti  
colle.

i) de iurisd. II. 15.

a

collegio ecclesiastico publice indultum, cui priuatorum pacto dero-  
gari non possit <sup>k</sup>). Quid? quod eo processit INNOCENTIUS III.  
Pontifex, ut sine episcopi consensu ne in alium quidem iudicem ec-  
clesiasticum consentire clericis permitteret. Quo loco iterum exci-  
tare haud placet sententiam summi CVIACII<sup>1</sup>), Innocentium tan-  
quam noui atque inusitati iuris conditorem reprehendentis, quoni-  
am argumenta eius diligenter iam refutata sunt a viris doctissimis  
IANO ACOSTA<sup>m</sup>) et IO. AVG. BACHIO<sup>n</sup>). Aliud enim cle-  
ricorum forum priuilegiarium, quod vocant, fuisse tempore Iu-  
stiniani, aliud sequenti tempore, quod iis proprium factum est ac  
perpetuum e principum constitutionibus et iure pontificio, nemo  
non intelligit. Neque etiam inde, quod a Iustiniano clericis fori  
sui renunciatio in literis contractus facta nominatim concessa est,  
duci potest argumentum ad prorogationem iurisdictionis propriae,  
vt, si illa sit licita, haec etiam permissa videatur. Id potius mihi  
adiiciendum videtur, quod eadem ratione, causarum, quibus iudi-  
cium feudale datum est, disceptatio, hodie neque expressa, neque  
tacita conuentione transferri aut prorogari possit in alios magistra-  
tus iudicesue ciuiles, quibus de iis nulla est iurisdictio. Et quem-  
admodum ciuilis iudicis iurisdictioni in causa aliqua se subiicere,

D 2

fori-

<sup>k</sup>) cap. 12. et cap. 18. X. de foro      <sup>m</sup>) in summar. decretal. p. 361.  
compet.

<sup>l</sup>) in recitatt. ad decretal. ad      <sup>n</sup>) in diff. cit. p. 13. sqq.  
cap. 12.

forique priuilegio renunciare possunt milites et studiosi: ita nec priuilegiorum natura pati, nec auctoritas, iudicibus ordinariis suo in territorio competens, suadere videtur, vt, qui nec milites, nec studiosi sunt, nec fori priuilegio alio gaudent, ii se se aut militari, aut academico, aut ali iudici submittant, et priuilegii adeo reddant participes <sup>o)</sup>). Certe eum in modum rescripsit Imp. GORDIANVS A. LICINNIAE<sup>P</sup>): *si militaris iudex super ea causa, de qua ciuilibus actionibus disceptandum fuit non datus, a quo dari poterat, cognouit: etiam remota appellatione id, quod ab eo statutum est, firmatatem iudicati non habet.*

## §. VI.

*Requisita eius, in quem prorogatur.*

Progredimur nunc ad reliqua, quae de iurisdictionis prorogatione dicenda restant, persequenda. Necessario autem requiritur, ut in quem a litigatoribus iuris dicundi potestas transfertur, is quidem omnino non solum iudex sit, sed et illa potissimum iurisdictionis forma ac specie, ad quam prorogata causa pertinet, gaudeat. Neque enim priuatorum consensus, cui iure publico nulla concessa erat iurisdictio, eam ei tribuere, neque, qui certam tantum eius

spe-

<sup>o)</sup> de Iurisdictione academica non proroganda scripsit HENR. BALEMANN peculiarem libellum, Giac 1757. editum.

<sup>o) l. 2. C. si a non compet. iudice iudicatum esse dicatur.</sup>

speciem habet, hanc immutare, nouamque et plane aliam speciem largiri potest, cum animo concipi cogitarique nequeat, ut, quod non est, prorogetur. Irritum foret atque inutile omne translatae talis iurisdictionis negotium in hominem, qui, cum priuatus sit, nec iuris dicundi potestate polleat, plane non iudex, sed arbiter tantum constitui possit. Apud Romanos quidem cum de re ciuili vel pecuniaria iudex proprius cognosceret, adeundus erat is iudex, qui de ea iudicandi potestatem habebat: cum contentio esset de criminis, hoc ad eum iudicem deferendum, qui habebat animaduersionem. Frustra igitur consentiebant litigatores de criminis in praetorem urbanum; de re pecuniaria in latrunculatorem. Namque hic quidem, cui specialiter datum erat, ut de latronibus cognosceret, non poterat iudicare de causis pecuniariis, cf. l. 61. §. 1. D. de iudic. Certe latrunculatores, quos *λησοδιώκτας καὶ βιοκωλύτας Iustinianus*<sup>q)</sup> vocavit, stationibus praerant militum per prouincias dispositis ad inuestigandos et persequendos latrones, vti interpretatur omni mea laude maior *cviacivs*<sup>r)</sup>. At, inquies, municipalium magistratum iurisdictione intra certam tantum summam continebatur, et tamen in causa, summam ipsis definitam excedente, iudicare poterant, inita inter litigatores conuentione. Recte. Manifestis enim verbis *IVLIANVS*<sup>s)</sup>, iudex, ait, *qui usque ad certam summam iudi-*

D 3

care

q) *Nouell. VIII. et XXIX.* II. cf. *Corasius miscellan. III. cap.**17. num. 9.*r) *in Obseruatt. lib. XIX. cap.* s) *l. 74. §. 1. D. de iudit.*

*care iussus est, etiam de re maiori iudicare potest, si inter litigatores conueniat: quocum consentit P A V L U S<sup>t)</sup>, inter conuenientes et de re maiori apud magistratus municipales agetur.* Verum enim vero habebant magistratus municipales iurisdictionem ciuilem et pecuniariam, quae in causa proposita desideratur. Ceterum nec tunc iurisdictionis prorogatio in magistratum admittitur, si tempus, intra quod eius iurisdictio valuit, praeterlapsum est, quoniam, finito magistratus tempore, unusquisque se imperio abdicare et successori locum facere debet, ita quidem, ut ipse tunc priuatus existimandus sit. Ac foret profecto istaec non prorogatio, sed noua iurisdictionis datio facta ei, qui nulli iam iudicio praeescit. Ex iis autem, quae in medium proferre placuit, satis, arbitramur, apparet, quid de quatuor illis prorogationis speciebus, quae de persona ad personam, de causa ad causam, de loco ad locum, et de tempore ad tempus a pragmaticis, quos vocant, Interpretibus vulgo commemorantur, statuendum sit. Quarum quidem cum praeter eam, quam' primo loco posuimus, et de qua non nihil dixisse nobis videmur, nullus usus, effectus nullus sit, vltiori earum expositione nos quidem supersedere posse existimamus.

## §. VII.

t) l. 28. D. ad municipal.

## §. VII.

*Prorogationis effectus.*

Proposuimus huc usque varia prorogationis capita, et vero etiam quae ad eam instituendam adesse debent requisita, quantum per temporis, quibus inclusi tenemur, angustias, et instituti rationem licuit, commemorauimus. Iam vero, qualem potissimum effectum sortitur recte facta prorogatio, paucis dispiciamus. Atque in uniuersum omne id in producendo prorogatae iurisdictionis effectu locum habebit, quod in unoquouis iudicio, lata a iudice sententia, obseruat. Quapropter recte iudex prorogatus, qui eandem in litigantes potestatem nanciscitur, quam habuit ordinarius, eodem etiam modo aduersus eos, vel inuitos procedere ac iudicatum exequi potest. Neque tamen hoc loco silentio plane praetereundus est dissensus eorum, qui, utrum iudex prorogatus, an potius proprius sententiam, ab illo latam, exequi debeat, inter se disceptant. Distinguendum enim esse tradunt inter prorogationem factam in iudicem superiorem, cui subiectus est reus, et inter eam, quae fit in iudicem extraneum. In illa quidem affirmant iudicem prorogatum sine ullo dubio posse sententiam a se dictam exequi: in hac vero minus hoc procedere. Mihi autem id potius obseruandum videtur, an reus in aliqua iudicis prorogati potestate sit, nec ne? Certe enim destituitur effectu suo prorogatio, si is, qui eam fecit, neque in territorio iudicis inueniatur ipse, neque bona illic possideat, ex quibus satisfi-

eri

eri possit iudicato. At si in territorio moretur, absque vlla rerum aut personae apprehensione, simplicis in ius vocationis efficacia, venire cogitur.

## §. VIII.

*Quomodo et impediatur et finiatur prorogatio?*

**S**upereft, vt quibus potiflimum modis et vitietur et tollatur prorsus iurisdictionis prorogatio, aut expresso aut tacito partium consensu inita, in medium proferamus. Ac primum quidem cum nihil magis consensui, quo solo omnis fulcitur conuentio, aduersetur, quam error: in aprico est, factam per errorem prorogationem, si litigantes persuasum sibi habuerunt, iurisdictionem esse eius, in quem conuenere, aut si alium pro alio praetorem aditum esse putarunt, nulla prorsus ratione procedere. Cessabit igitur contra ordinarias iuris regulas lex prorogationem indulgens, quod ipse etiam confirmatum dedit. *VLPIANVS* his verbis: *si per errorem alias pro alio praetor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum est: nec enim ferendum est, qui dicat consensisse eos in praefidem, cum (ut Julianus scribit) non consentiant, qui errant<sup>u</sup>*). Deinde etiam prorsus non valebit vlla iurisdictionis prorogatio, si quis litigantium ad instituendam eam metu aut vi coactus fuerit. Etsi enim, si ad finem respicimus, in arbitrio eins, qui ad talem conuentionein ineundam adactus <sup>u)</sup> l. 15. *D. de iurisd. add. l. 2. D. de iud.*

adactus est, positum est, conuentioni vi metuue extortae stare, an potius contendere, et remediis contra eos, qui ex eo promisso agunt, vti velit: tamen, cum statim ab initio insit ei necessitas voluntati aduersa, consensu aduersus bonos mores extorto, quanquam videri possit in praetorem consensisse, nulla prorsus ratione legibus approbatur. Quid? quod manifesto in rem nostram facit **V L PIANVS**<sup>x</sup>): si, cum restisset quicunq[ue] ex litigatoribus, viribus præturae compulsus est, nulla iurisdictio est. Idem etiam de dolo et omnibus iis, quæ et consensui, et legibus contraria sunt, dicendum est. Iam vero cum nihil tam sit naturale, quam eo genere quodque dissolui, quo colligatum erat: facile est intellectu, omnem prorogationem statim contrario litigatorum consensu tolli atque finiri, Apparet praeterea ex ipsis, quæ alio iamiam loco a nobis prolata sunt legum verbis, mutuo partium dissensu dissolui omne hoc negotium, cum eum in modum scribat **A F R I C A N V S**: si mutata voluntas fuerit, nemo compelletur eiusmodi conuentioni stare. Possunt autem transigendo liti omnino renunciare, quod prohibere non potest iudex prorogatus: ita enim periculum non est, ait **V L PIANVS**<sup>y</sup>) ut pacio priuatorum iussi prætoris anteposita videatur. Caeterum inanis quoque erit prorogatio in talem facta iudicem, qui, si aditus fuerit, a partibus, translatum in se iuris dicundi officium recusat, cum, vt inuitus ius dicat, cogi possit a nemine.

## §. IX.

<sup>x</sup>) l. 2. D. de iud.<sup>y</sup>) l. 1. π. de noui oper. nunc.

## §. IX.

*Prorogationis in Germania origo.*

**A**bsoluta iam ea tractationis parte, quae e iure potissimum romano petenda nobis visa est, properamus ad alterum disputationis caput, prorogationis in Germania originem, progressum, et qui hodiernis adhuc moribus supereft, vsum, paucis demonstraturi. Ac priscis quidem nationis Germanicae temporibus quamuis certa iam aliqua iudiciorum forma, certi limites effent constituti, inter quos iuris dicundi potestas et a conciliis, h. e. ordinibus ciuitatis in comitiis congregatis, et a comitibus exercita est, cuius rei testem proferre possumus TACITVM<sup>2)</sup>), eliguntur, inquietem, principes in conciliis, qui iura per pagos vicosque reddunt: tamen in rerum gestarum monumentis exemplum factae tum temporis prorogationis reperimus nullum. Videtur potius certe sub Carolingiae stirpis Imperatoribus omnis in Imperio Germanico prorogatio fuisse prohibita, cum non clericis solum sub excommunicationis poena interdictum esset iudicem secularem adire, sed et ne laicis quidem alienis fese iudiciis subiicere liceret, probantibus id CAROLI M. et LUDOVICI PII capitularibus a STEPHANO BALVZIO editis<sup>3)</sup>). Subsecuto demum tempore, cum romani iuris auctoritas in Germa-

niam

2) de moribus Germ. cap. 12.  
add. Caesar de bello gall. lib. VI.  
c. 13.

a) c. 309. et 469. T. I. p. 1130.  
c. 155. p. 1058. c. 210. p. 1069. et  
Lib. VI. c. 157. p. 949. p. 1039. c.  
332. p. 1097. c. 220. p. 1072.

niam irreperere coepisset, iurisdictionis prorogationes etiam sensim  
sensimque inualuerunt. Cui enim bono alias tam multa priuilegia  
aduersus subditorum euocationes forent concessa, quorum varia non  
solum ab Electoribus, verum etiam [aliis] Principibus ac statibus Im-  
periis impetratorum exempla habet D I E T. H E R M. K E M M E R I-  
C H I V S <sup>b)</sup>? Aut cur vicinis nobilibus, vt vno tantum exemplo  
vtar, in oppidis, pagis atque vrbibus permisum fuisset senatum Spi-  
rensem adire? L E H M A N N V S quidem <sup>c)</sup> mentionem facit *vieler  
adelichen Personen auffn Land, der benachbarten Städten, Flecken und  
Dorfsschafften, so Entscheid und Urtheil vor Recht zu Speyer viel-  
fältig gesucht: et paulo post: das ein Rath fremden und einheimi-  
schen in Rechtsachen gesprochen.* Ac variae profecto huius rei reddi  
possunt rationes. Primum enim, perturbato per bella ciuilia ac dif-  
fidationes Germaniae statu, videntur etiam iudiciorum circuli vehe-  
menter fuisse turbati. Deinde vero inita sunt a ciuitatibus nonnullis  
foedera eo potissimum confilio, vt lites inter ipsas exor-  
tae ab altera ciuitate foederata cognoscerentur ac diiudicaren-  
tur. Accessit etiam auctoritas, quam nonnullis ciuitatibus fa-  
ma conciliauit de praestanti, quibus vtebantur, iurium aequitate,  
quod Magdeburgici ac Lubecensis iuris exemplo demonstratum de-  
dit H E R M. C O N R I N G I V S <sup>d)</sup>. Fuerunt aliae, quae iura sua in  
scripturam redigere noluerunt eam ob causam, vt, qui iis vti vel-

E 2

lent

b) in disp. de iure de non euo-  
cando §. 12.

c) Chron. Spir. t. IV. cap. 21.

d) *De orig. iur. Germ. cap.  
XXVIII. p. 170.*

lent extranei, cogerentur pati, ut lites ab ipsis dirimerentur. Prorogatam denique iurisdictionem voluntariam Germanorum moribus haud contrariam fuisse testatur etiam *IUS PROVINCIÆ SAXONIÆ*): in foro, inquiens, oppido, seu alienis iurisdictionibus respondere nemo tenetur, nisi ibidem respondere stipulatus fuerit.

## §. X.

*Fata prorogationis in Germania.*

**I**am vero quemadmodum stabilita ordinum Imperii superioritate territoriali, multa derogata, multa etiam melius ac diligentius constituta sunt: ita etiam iurisdictio in nouam quasi formam tunc redacta, eiusque limites curatius diligentiusque sunt obseruati. Unde mirum non est, quod et prorogationes, quarum abusus haud exiguus erat, in desuetudinem abire cooperint. Quid? quod eas, prohibitis alienorum subditorum euocationibus, summopere leges Imperii et publicae, et priuatae restrinxerunt, ne officerent iurisdictioni alterius patrimoniali, ne priuilegio de non appellando, iuri reuocandi, ne tandem in praeiudicium iudicis proprii aut domini territorialis vergerent. Confirmatur hoc expressis legum verbis: <sup>f)</sup> *erstlich ordnen und setzen Wir, dass alle des heiligen Reichs Verwandte und Unterthanen bey ihren ordentlichen inländischen Rechten und Gerichten, (außerhalb den Fall, die nach Laut dieser Ordnung an das Cam-*

<sup>e)</sup> Lib. III. art. 25.    <sup>f)</sup> In Ord. Cameral. 1555. P. II. tit. 1. pr.

merge-

mergericht ohne Mittel gehören) gelassen. Et alio loco <sup>g)</sup>: Es soll auch das kaiserliche Cammergericht in erster Instanz oder Rechtfer- tigung auf niemands Klag oder Ansuchen laden erkennen, oder geben, gegen denienigen, die der kaiserlichen Majestät und dem Reich nicht ohne Mittel unterworfen seyn, und doch sonst ihren ordentlichen Richter ha- ben, und so über das iemand solche Ladung oder Citation erlangt; so soll die mit allem, was darauf gefolgt, nichtig, unbiündig und unkräftig seyn.<sup>h)</sup> Nolo iam multus esse in commemorandis locis pluribus, quibus et subditorum euocationes prorsus prohibitae, et vero etiam certi limites prorogationibus constituti sunt, cum de illicita hac iuris- dictionis prorogatione varia eruditissimorum virorum scripta extent, quorum integrum catalogum concinnauit Vir ICtissimus F R I D. G V I L I E L. T A F I N G E R V S <sup>h)</sup> in praestantissimo libro, cuius inscriptio haec est: *Institutiones iurisprudentiae cameralis*, cuius nona multisque additamentis locupletata editio prodijt. <sup>M</sup> Tubingae 1776.

II. Vol. 8.

### §. XI.

#### *Vsus prorogationis in imperio Germanico.*

Persecuti sumus huc usque prorogationis in Germania et originem et desuetudinem: superest, ut et in usum illius hodiernum breuiter inquiramus, cum ea de re magna inter ICTOS sit dissensio. Sunt enim, qui, obseruato inter eos magistratus, qui administratoria tan-

E 3

tum

<sup>g)</sup> O. C. 1555. P. II. tit. I. §. vlt. <sup>h)</sup> vid. Sectio III. tit. III. p. 83.

tum iurisdictione, et eos, qui patrimoniali gaudent, quodam discrimine, statuant, in illa quidem recte, in hac minus procedere prorogationem: quanquam non defunt alii, qui omnem hodie iurisdictionem e consensu partium prorogari posse, neque subiectos, alieno in foro litigantes, reuocandos contendant. Aliam alii defendunt sententiam. Ego quidem, si dicendum, quod res est, ex iis nullam fere mihi placere fateor, neque tamen censum earum instituere, multo minus breuitatis studiosus iis defendendis aut refutandis lubet immorari. Primum igitur tenendum est, posse ciues Imperii immediatos, quibus primum forum coram austraegis competit, his praeteritis, de disceptandis in iudicio camerali causis vel expresse, vel tacite conuenire, factoque illo iurisdictionem prorogare. Nullo autem modo idem licet mediatis. Subsunt enim ii primo loco foro domini sui territorialis, qui tali in causa interueniendo ius suum defensurus esset. Neque tamen inficias ire possum, etiam in mediatorum causis, si v. c. de iurisdictionis defectibus quaeratur, locum habere camerae imperialis iurisdictionem, certis licet limitibus adstrictam. Ita enim in capitulatione augustissimi Imperatoris Iosephi II. i) legitur: *Wir wollen die mittelbare Reichs und deren Ständen Landes Unterthanen bey künftiger unserer Regierung in kaiserlichen Schutz haben, und zum schuldigen Gehorsam gegen ihre Landesobrigkeit anhalten.* §. 4. auf den Fall auch nach unserer kaiserlichen angestretenen Regierung iemand von den Landständen oder Unterthanen wider dieses

i) Art. XV. §. 1.

dieses oder andere obberührte Sachen, bey Uns, oder Unsern Reichs Hofrath, oder erst bemeldeten Cammergericht etwas anzubringen, oder zu suchen sich gelüsten lassen würde, wollen Wir daran seyn, und darauf halten, dass ein solcher nicht leichtlich gehöret, sondern a limine iudicii ab, und zu schuldiger Parition an seinen Landesfürsten und Herrn gewiesen werde. Vnde haud immerito colligere mihi videor, prorogationes hodie omnino tum demum locum habere, si iuri de non euocando haud aduersentur, neque in domini vel ordinarii iudicis praeiudicium vergant. Etenim per ius de non euocando, omnibus Imperii statibus concessum, imo statibus vi ipsius superioritatis territorialis competens, derogatum est iuri romano. Ac praeterea ingens inter statuum Imperii et magistratum romanorum iurisdictionem discrimen intercedit, cum in Imperio romano indiuisa esset maiestas, et certe administratorio nomine magistratibus, maioribus nempe, competeret, iurisque dictio non nisi vice Imperatoris exerceretur: status autem et domini territoriales non iure magistratum, sed dominii iure jurisdictionem habeant. Neque enim, ait SCHILTERVS, <sup>k)</sup> de principum ac dominorum territorialium iurisdictione proroganda Imperator, neque de vasallorum ac statuum prouincialium domini territoriales in seniorem tale quid disponere ac sancire possunt, quin alteri id, quod iure dominii semel quaeustum habeat, sine facto ipso rum, nec sine iniuria auferrent. Sane in favorem domini concessa dicitur haec iurisdiction, cum magistratum administratoria tantum magis

<sup>k)</sup> in Exercitatt. ad Pand. VI. §. 13.

gis in fauorem et vtilitatem priuatorum comparata sit. Qua propter eo minus dubitandum est, quin recte fiat prorogatio iurisdictionis iudicium unius eiusdemque domini territorialis, nisi expresse loco aliquo prohibita sit, cum hoc modo apud nos in eodem territorio locus sit rationi, propter quam in vniuerso olim Imperio romano prorogatio permissa fuit. Frustra autem prorogabunt partes extra principis prouinciam, vt alterius prouinciae magistratus et index ius dicat in homines potestati suae non subiectos: conueniendo tamen poterunt se ad quocunque forum obligare, vt, si promittens deprehendatur in illo loco, in ius ibi vocari et cogi possit ad respondendum. Vnde non plane otiosa esse videtur contractibus saepissime adiecta illa fori renunciatio: *Er wolle sich seines ordentlichen fori hiermit per expressum begeben haben; aut: er gebe seinem creditori hiermit freye Macht und Gewalt, ihn an allen Orten und Enden, wo er ihm sonst antreffen möchte, zu belangen, massen er sich dieser Post halber eines ieden Jurisdiction wolle unterwürfig gemacht haben.*

## §. XII.

*Vsus in foro Saxonico.*

**E**x iis, quae iamiam disputauimus, facile est ad intelligendum, in foris etiam Saxonics, prohibente id nulla lege expressa, receptum esse, vt iurisdictionis prorogatio, nisi iuri de non euocando aduersa in domini praiejudicium suscipiatur, tam expressa, quam tacita fieri possit conuentione. Neque vero ad firmandam eam opus erit praetoris

toris aditione, expresso, vti vulgo statuitur, inter priuatos consensu facta, sed sola conuentio, imo, cum omnia hodie pacta validam obligationem producant, nudum pactum sufficiet. De tacita autem iurisdictionis prorogatione quamuis fint,<sup>1)</sup> qui actoris et rei discrimen quoddam obseruandum esse contendant, quo hunc quidem, etiam si inuitus in ius vocatus venerit, tamen non sola aditione, sed litis demum contestatione iurisdictionem prorogare, actori autem post factam in ius vocationem et libelli editionem liberum ac solutum amplius non esse decernant, vt derelicto eo, quem prius adiuit, reum inuitum ad alium vocaret iudicem licet aequae competentem, eique contra facienti exceptionem praeventio[n]is aut litis alibi motae a reo opponi posse, imo reum iure petere, vt actor litem prosequatur, aut ad perpetuum silentium condemnnetur: tamen, cum forensis consuetudini*s* constantia probari possit nulla, non video, cur a iuris civilis constitutionibus, quibus a litis contestatione robur suum recipere dicitur iurisdictio prorogata, ista in re discedendum sit, cum multi etiam e ICris pragmaticis idem hoc statuant consuetudini forensi conuenire.<sup>m)</sup> Praeterea memini me audire, subditos non nunquam cogi velle a iudicibus ad prorogandam coram tribunal i suo iurisdictionem, excitato ORDINAT. PROCESS. RECOGN.<sup>n)</sup> loco ita fere composito: *gestalt hinkünftig alle gerichtliche Handlungen, so viel die actus contentiosae iurisdictionis betrifft, nirgends anders, als an denen Orten, wo einer die Gerichte hat, von denen dazu bestellten Personen vorzunehmen, und zu expedieren, und was dem zuwider in fremden Gerichten, obgleich ex compromissō partium*

1) Voetius Comm. ad Dig. h. t. II. h. t. §. 30. Berger Oecon. Iuris  
§. 21. p. 682. edit. nouiss.

m) cf. Lauterbach coll. theor. pr. n) Tit. II. §. 4.

tium geschiehet, vor null und nichtig zu achten, auch den Contra-  
venienten willkührlich zu bestrafen. Falso autem ab iis verba illa ad  
prorogationem mutuo partium consensu initam trahuntur. Conti-  
nent enim fere nihil aliud, nisi hoc, ne, quibus iurisdictionis po-  
testas demandata est a dominis iurisdictionalibus, ii aut tali in loco,  
in quo ipsis nulla plane iurisdictio competit, aut, si a litigantium  
domicilio remoti sedem suam habeant, conentur ius dicere priuatos  
intra parietes, sed in loco iudicii solemni. Et quid quaeſo his cla-  
rius, quid magis perspicuum? Ceterum hoc quoque obſeruandum  
venit, apud nos quidem hodie clericos, licet forum proprium ha-  
beant et ecclesiasticum, recte tamen in causis suis litibusque proro-  
gare iurisdictionem, si magistratus ecclesiasticus clericum coram  
iudice seculari litigare volentem, et vel expreſſe, vel tacite in eum  
consentientem, ad forum suum haud reuocet. Tunc enim incom-  
petentis fori exceptionem attendi non solere refert WERNHE-  
RVS, <sup>o)</sup> qui praeterea id responſo ab Ordine ICtorum Vitebergen-  
ſi ad requisitionem des Raths zu München in causa Michael Leinens  
contra Adolph Pezolden confirmat his verbis:

Dass es, der eingewandten Leuterung ohngeachtet, bey dem  
am 24ſten May des iüngſt abgewichenen 1723ſten Jahres gegebenen Be-  
ſcheid billig bleibt.

Ob wohl Beklagter anführt, dass er als persona ecclesiasti-  
ca, coram foro seculari nicht belanget, noch ſolchem foro priuile-  
giato mit Bestand Rechtens von einem clericu renunciret werden möge

cap. 12. X. de foro compet.

Dieweil aber dennoch ſolches nur von dem Fall, wenn die geiſt-  
liche Obrigkeit eines clericu interueniret, und die prorogationem iu-  
ris

<sup>o)</sup> In select. obſeruat. forens. T. III. p. 240.

risdictionis zu verhindern suchet, anzunehmen, in gegenwärtigen casu hingegen dergleichen sich nicht ereignet, noch das Consistorium zu Leipzig sich diesfalls moniret: So ist gesprochenermassen billig erkannt worden. Ceterum tamen iis in causis, in quibus iudicio seculari subiecti permanent clerici, locum habet prorogatio.

## §. XIII.

*De iurisdictionis patrimonialis prorogatione.*

**V**ltimo tandem loco indicanda potius, quam componenda videtur disceptatio inter ICtos forenses haud exigua de iurisdictione patrimoniali, an litigitorum consensu queat prorogari? BERGERVS quidem P) cum aliis magni nominis ICtis <sup>q)</sup> negat eam prorogari posse, inuito eo, cui prorogantes subiecti sunt: at LEYSERV<sup>s</sup> <sup>r)</sup> tradit prorogationem istam omnino fieri posse. Sunt autem argumenta eius, quibus sententiam hancce defendere studet, fere haec: nusquam constitutum esse, ne patrimonialis iurisdictionio prorogari possit, differre quidem eam a iurisdictione magistratum, quod hereditaria sit, et proprio nomine exerceatur: in ceteris autem ex communibus iurisdictionis regulis, quippe quae vel in administratoria, quam vocant, locum hodie habeant, debere dijudicari. At vero quod ab illis reponitur, hoc fere redit, prorogationem non valere, si magistrati iurisdictionio, sua potissimum causa ac favore, data sit, qualis fit patrimonialis Toparchis, saepe pretio, vti constat, vel titulo, vti loquuntur, onerofo concessa: solere etiam in praediis vendendis certo pretio aestimari: iurisdictionem porro prorogari posse eam tan-

F 2

tum,

P) Oecon. Iuris p. 682. edit. nov.

r) In diff. de iurisdictione 1714

q) Leuven Censur. forens. P. II.

defensa et Medit. ad II. inserta:

l. I. §. 18. n. 1-2. Voetius Comm.

spec. XXIX. §. 5. ad lib. II. tit. I.

ad Dic. h. t. n. 15. Wernher obs.

D. de iurisd.

sel. forens. T. I. p. 340.

tum, quae priuatorum favore constituta sit, quo autem beneficio decedere, cuilibet licitum, nec dubitandum esse, quin is, qui iurisdictioni patrimoniali subiectus est, prorogata ea, in alieno foro ligare, mandatis, quae vocant, poenalibus reuocari, atque in ordinem redigi possit, adeo, ut, ubi iudex superior, inferiore, qui patrimoniali iurisdictione gaudet, praeterito, aditus fuerit, is, qui praeteritus fuit, in causa, ut dicunt, interuenire, et id, quod sua, ex causa iurisdictionis patrimonialis intersit, vrgere possit.<sup>5)</sup> Cui quidem sententiae, et si aliis adhuc argumentis ab aduersariae causae patronis impugnari possit, tamen, cum a plerisque iuris Interpretibus recepta sit, nec consuetudine forensi plane destituta videatur, quin ego quidem faueam, vix mihi possum temperare.

### *Epilogus.*

Atque haec sere habuimus, quae de iurisdictione prorogata doctorum virorum institutione magis adiuti, quam noua proferendi studio capti dicenda nobis visa sunt. In quibus si propter rerum varietatem ac multitudinem in tanta festinatione mea me ratio aliquando sefellerit, quod veror sane, ne acciderit interdum; eius rei ut iuuenili aetati aliquam veniam dent, aequos harum rerum arbitros, vehementer cupio rogatos. Ceterum vero si qui paulo durius acerbiusue de hac opella nostra qualicunque indicaturi sint, quod in tanta hominum diuersitate facillime euenire posse arbitror: iis hoc ego vetustissimum poëtae dictum repono:

*certis medium ac tolerabile rebus*

*Recte concedi: consultus Iuris et actor  
Causarum mediocris abest virtute diserti:  
Messallae, nec scit, quantum Casellius Aulus;  
Sed tamen in pretio ejus.*

<sup>5)</sup> cf. Wernher obf. sel. forens. l. c.

*Diss. iur. civ. 248, 16.*